

goberti regis quondam filia. Cum pervulgatum notumque bonis omnibus sit, quemadmodum nos monasterium in villa quæ dicitur Palatiolum, in ripa positum fluminis Mosellæ, quod ipsum a Pippius majore domus Treviris permutatione quesivimus, honorique sanctæ Mariæ virginis, genitricis Domini nostri Jesu Christi, et beatorum Petri et Pauli, cæterorumque sanctorum jam dudum ad proprii monasterii usum extruximus, in eoque monacharum cœtum, disciplina et regula sancti Benedicti viventium, aggregavimus, faciendum denique nobis visum est ut has vitæ degendæ necessarias opes, quas de propriis hactenus largitæ sumus, testamenti etiam præsentii pagina confirmaremus.

Legamus itaque, et donamus huic, quod diximus, monasterio villam nostram, quæ dicitur Palatiolum, in qua cœnobium esse constructum videtur, idque cum omni integritate, tam domibus, ædificiis, additamentis, casis, curtibus, mansis, mancipiis, quam vineis, campis, pratis, silvis, adjacentibus, farina-riis, aquis aquarumque decursibus, et omnibus iis quæ ad ipsam pertinere villam constat.

Addi volumus his prædium <sup>a</sup> Scripnasium in pago Mosæ situm, ad ipsius Mosæ fluminis ripam, omnes-

<sup>a</sup> *Scripnasium in pago Mosæ.* Vid. Chron. Gottw. l. cit., p. 693.


<sup>b</sup> *Dulcissimo filio Alberico.* Habuit primum Adela maritum virum illustrem, ex quo mater fuit Alberici; hic iterum genuit Albericum, qui anno 722 in comitatu S. Bonifacii aviam Adelam in monasterio suo Palatiolensi invisit, et Bonifacium deinde secutus est magistrum, usque dum sub nomine Gregorii abbas Trajectensis factus est, ut ex Ludgeri Vita S. Gregorii hujus discimus. Defuncto Gregorio abbate, pastorem curam Albericus nepos ejus ibidem suscepit, ut Alfridus in Vita S. Ludgeri, cap. 43, prodit.

<sup>c</sup> *Germana mea Regentrude, etc.* Multum hæc charta illustratur genealogia Adelæ; ex ea hoc confecit schema Eckhart Rerum Francicarum tomo I, p. 265.

A que possessiones ejus villæ, uno duntaxat quadrangita jugerum agro excepto, quem Insulæ nomine appellatum, jam ante <sup>b</sup> dulcissimo filio Alberico donavimus. Similiter a Deiparæ matris hoc monasterio possideri prædialia ea omnia volo quæ in Bietbergis Bessancioque sita, quæque a dulcissima <sup>c</sup> germana mea Regentrude dato pretio comparavi. Rursus portiones meas villarum Enchiarici [*Enkerich*], Ursiaci [*Urzig*], Calmetarum [*Keimpt*, prope Cellas] his adjicio, quæ ad Mosellam omnes sitæ sunt.

Quibus adjungi res etiam eas facultatesque placet quæ in prædio Regimosei a Feronio filio Tullonis justæ mihi venditionis titulo quondam obtigere. Accedunt etiam his possessiones Baldefingis, quæ <sup>d</sup> in pago sitæ Betensi, et a Ganciofrido, et Wigerico emptæ, in jus peculiumque meum redactæ sunt. Item quæ in prædio Machariaco [*Forte Machera*] a Bertonio mihi donata. Hæc omnia tribus donoque. Ad extremum id quoque de sententia congregationis memoratæ statuimus, ut quidquid opum possessionumque in monasterium hoc ipsum contulimus, id in archiepiscoporum Ecclesiæ Trevericæ semper sit arbitrio atque tutela.

Datum Kalendis Aprilis anno 12 Theoderici regis.



<sup>d</sup> *In pago sitæ Betensi.* Sic legendum, et non *Bentensi*, ut legit Brouwerus Aunsl. l. vii, n. 83. Unde error profluxit eorum qui Bentensem pagum constituerunt a Betensi distinctum. V. Chron. Gottw., p. 557.

## AD DIPLOMATA THEODORICI III. PROLEGOMENA

### § 1. — *Diplomata sincera.*

1. Anno regni sui primo, quem cum anno Christi 675 illigamus, Condedo, abbati monasterii Fontanellensis, Theodoricus concessit insulam Belciniacam in Séquanæ alveo, non procul a Calidobeco, diplomate n. I, quod ex schedis Mabilonii vulgatum fuit in Collectione scriptorum historiarum Franciæ, t. IV, pag. 682. Hujus diplomatis mentio sit in veteri Vita sancti Condedi, inter Acta SS. Bened., t. II, pag. 827. Illud recudimus ex litteris Philippi Valesii, quibus renovatum est jam vetustate attritum. Harum litterarum apographum accuratissimum exstat in chartophylacio nostro. Apographum quo utimur exscriptum fuit ex litteris originalibus Philippi Valesii in archivo Fontanellensi asservatis, membrana munita sigillo in cera viridi, his sericis rubeis pendente, exhibente lilia sine numero. Invocatio initialis diplomatis insolita quidem his temporibus fuit, sed in quibusdam partibus membranam attritam et consumptam fuisse rex ipse in litteris suis monet; hinc arguere fas est amanuenses, in ipsa exscribenda, initialium formulam deficientem juxta ætatis suæ morem

supplevisse. In Belciniaca Insula Condedus monasterium construxerat, ut dicit Mabill., Annot. l. I, pag. 525 et seq., et Acta SS. Bened., t. II, pag. 829, quod cum insula monasterio Fontanellensi subjecta; sed hæc omnia unda obruit. Emergere visa est insula anno 1641, sed iterum evanuit, nec ejus vestigia supersunt.

2. Diploma n. II, quod Theodoricus monasterii Anisolensis rei et libertates sub sua protectione suscipit, solus edidit Martenius, amplissim. Collect. t. I, col. 7, ex Anisolensi chartulario depromptum. Illud pugnat cum instrumentis contra libertatem hujus monasterii fabricatis, inter Acta episcoporum Cenomanensium insertis, de quibus toties. Oblitteratæ sunt notæ chronologicæ. Ergo, ut arguit Martenius, Theodorico III, non Theodorico IV, seu Kalensi, tribuendum est diploma de quo agimus. Siviardus enim, qui tunc regebat monasterium Anisolense, sub Theodorico III, decessit, scilicet anno 687, juxta Bollandistas, die 2 Mart. pag. 65, not. aut forte anno 681, quod pluribus argumentis astruunt auctores Historiæ litterariæ Franciæ, t. III, pag. 633, contra Mabilonium, acta SS. Bened. t. III, p. 459, et Bondonnetum, Vitæ episc. Cenom. pag. 361.

3. Theodorici III diploma, n. V, quo bona Adalrici A siano monasterio immunitates per regna sua Neustriæ, Burgundiæ et Austrasiæ, quod factum non fuit, nisi post mortem Dagoberti II, qui Austrasiæ solum occupaverat. Occisus autem est Dagobertus II, ut testantur Longuer. *Annal. in Collect. scriptur. Fr.*, t. III, pag. 694, et ibi auct. cit. anno 673. Verum, ultra duos annos Austrasiæ Theodoricum regem non agnoverunt, ut discimus ex historiis. Hoc instrumentum circa annum 681 ex conjectura collocavimus. Anno enim 680 Martinus et Pipinus, qui in Austria dominabantur, a Theodorico et Ebroino majore domus victi et fugati sunt. Mabillonius, de *Re diplom.*, pag. 470, et Felibianus, *Hist. abb. S. Dion.*, prob. pag. 9, diploma rejiciunt ad annum 678; sed hoc ipso anno Theodoricus a Pipino victus et captus est. In autographo deficient notæ chronologicæ, quæ dubitationem omnem tollent. Beest et subscriptio regis; sed monet Mabillonius, de *Re diplom.*, pag. 210, regium sigillum appositum fuisse, quod subscriptionis vicem præstabat, et id multis exemplis probari posse docet.

4. Altero diplomate, n. VI, rex idem venerabili viro Chlainoni diacono donat bona quæ Docta, Chronoberti relicta, possederat. Is Dionysiani monasterii res gerebat, teste Nov. Gall. *Christ.*, t. III, col. 340, quem deinde, abbatis nomine, eidem præfectum videbimus. Loca vero donata appellantur Saocibus, Muntecellæ et Abnitus, quæ, in Briegio pago sita, juxta Felibianum, *Hist. abbat. S. Dion.*, pag. 28, vernacule dicuntur *Sancy, Monceaux* et *Aulnoy*. Vulgavit instrumentum hoc Mabillonius, de *Re diplom.*, pag. 469, ex autographo. Germonius, de *vet. reg. Fr. Dipl.*, t. II, pag. 79, ob solam styli barbariem, hujus auctoritatem infringere conatus est. Imbelles hoc argumentum evertit Mabillonius, pag. 13, in *Supplemento ad artem diplomaticam*, et pluribus Fontanus, *Vindic. diplom.*, pag. 116 et seq. Hæc autem barbaries plerumque oritur ex orthographiæ vitii sæpe natis ex corrupta pronuntiatione, quæ vocalium sonum ac proinde scripturam immutavit. Quicumque autem vetera instrumenta inspiciet, in vitiorum ejusmodi exempla innumera incurret, quæ, nedum pro falsitatis, imo pro sinceritatis testimoniis apud criticos habentur.

5. Vulgavit quoque ex autographo Mabillonius, de *Re diplom.*, pag. 469, diploma Theodorici III, n. VII, quo concedit Chramlino, Ebredunensi episcopo, in synodo solemniter a sede episcopali dejecto, facultatem in monasterio sancti Dionysii vitam agendi et de rebus suis statuendi. Hoc solo instrumento notus Ebredunensis episcopus nomine Chramlinus, qui inter episcopos Ebredunenses non numeratur, merito quidem; is enim contra fas episcopatum invaserat, ut hoc instrumento decemur. Datum diploma dicitur *Marlaco*, quod Mabillonius, *ibid.*, pag. 470, not., de *Marlaco* intelligendum censet (Gallice *Morlac*), in confinio Burgundiæ et Neustriæ. Abbas Lobeuf, *Hist. dioc. Paris.* t. VII, pag. 184, legit *Maslaco*, prope Senonas; sed *Marlaco* satis distincte legitur in autographo, ut videre est ex specimine æri incisio in *Diplom. Mabill.*, pag. 381; nec *Maslacum*, sed *Mansolacum* aut *Mansolacum*, villam regionem novimus, uti idem dicit, de *Villis regis*, lib. IV, *diplom.*, pag. 259. Felicius Pagius, in *Baron.*, t. III, pag. 77, interpretatur hodierno nomine *Marly-le-Rot*. Hoc diploma confert Germonius, de *vet. reg. Fr. Dipl.*, t. I, pag. 183, cum alio pro Latiniaco villa, n. XVII, de quo infra. In utroque formula in *Christi nomine* Theodorici subscriptioni præfigitur; quod huic regi peculiare est; neque aliquid inde arguit Germonius, sed inter utramque subscriptionem ductus litterarum discrepances aut se deprehendisse, unde falsi suspicionem ingerit, quam elevat Mabillonius, de *Re diplom.*, *supp.*, pag. 25, et Fontanus, *Vindic. diplom.*, pag. 189. Nos, collata utraque subscriptione a Mabillonio incusa, non aliam vidimus discrepanantiam, nisi quam, in scriptura nominis ejusdem, annorum duodecim intervallum peperisse probabile est.

6. Jam Theodoricus III toti Franciæ imperabat, cum cum sit diploma n. IX, quo concessit Sandiony-

siano monasterio immunitates per regna sua Neustriæ, Burgundiæ et Austrasiæ, quod factum non fuit, nisi post mortem Dagoberti II, qui Austrasiæ solum occupaverat. Occisus autem est Dagobertus II, ut testantur Longuer. *Annal. in Collect. scriptur. Fr.*, t. III, pag. 694, et ibi auct. cit. anno 673. Verum, ultra duos annos Austrasiæ Theodoricum regem non agnoverunt, ut discimus ex historiis. Hoc instrumentum circa annum 681 ex conjectura collocavimus. Anno enim 680 Martinus et Pipinus, qui in Austria dominabantur, a Theodorico et Ebroino majore domus victi et fugati sunt. Mabillonius, de *Re diplom.*, pag. 470, et Felibianus, *Hist. abb. S. Dion.*, prob. pag. 9, diploma rejiciunt ad annum 678; sed hoc ipso anno Theodoricus a Pipino victus et captus est. In autographo deficient notæ chronologicæ, quæ dubitationem omnem tollent. Beest et subscriptio regis; sed monet Mabillonius, de *Re diplom.*, pag. 210, regium sigillum appositum fuisse, quod subscriptionis vicem præstabat, et id multis exemplis probari posse docet.

7. Ex editione Sirmondi, *Conc. Gall.*, t. I, pag. 505, recudimus diploma Theodorici III, n. X, quo confirmat electionem Eremberti in abbatem Corbiensem. Hunc elegerant monachi, ut fuerat ipse a rege indultum; et a Theodredo episcopo onus regendi monasterii, juxta voluntatem regis, susceperat Erembertus ad petitionem monachorum. Theodoricus hujus electionem confirmat, et potestatem in homines, res et possessiones totius congregationis. Desunt notæ chronologicæ, et cui anno illigandum sit diploma non liquet, annus enim quo vita cessat Chrodegarius, Eremberti decessor, certo dehnari nequit. De Theodredo episcopo, cui ecclesiæ præfuerit, an Ambianensi, an Albiensi, an Cameracensi, statuere facilius est. Ibi enim dicitur Erembertum ad regimen monasterii a Theodredo episcopo constitutum fuisse; id autem soli Ambianensi episcopo competeat: de his videsis Mabillonius, *Annal.* t. I, pag. 502, et Coittium, *Annal.* t. IV, pag. 212.

8. Theodorico III tribuendum est diploma n. XI, quod a Martenio, *Ampliss. Coll.*, t. II, pag. 12, de promptum ex chartulario Stabulensi edimus, de domibus quæ Stabulensi et Malmundariensi monasteriis, ad petitionem abbatis Goduini, concessa sunt. Notæ chronologicæ in chartulario desunt, quas exscribere sæpius neglexerunt chartulariorum scriptores. Hinc quidam, ut dicit Coit. *Annal.* t. IV, pag. 29, hoc instrumentum a Theodorico IV emissum arbitrati sunt. Sed Goduinus, uti dicit, ad tempora hujus regis pervenire non potuit. Præterea, Theodoricus Sigebertum avunculi sui nomine appellat, quod Theodoricum III indigita: vox enim *avunculus* pro patruo nemini solum faciet, quam hoc sensu promiscue usurpatam his temporibus fuisse unicuique notum est. Datum autem fuit diploma cum Austrasiis imperaret Theodoricus III; et id nos revocat ad annum circiter 681, quem huic instrumento præfiximus.

9. Duo Theodorici III diplomata pro monasterio Sithiensi ex Folquini chartulario deprompta edimus, juxta apographum sæpius laudati domini de Witte, qui illa ex eodem chartulario descripsit et in chartophylacio nostro reposuit. Priori, n. XII, quod ambustum est anno regni 10, mense Octobri (Christi 682), Bertino abbati Sithiensi conceditur, ut ab omni reditu terræ, aut functione publica, immune sit quicquid comparatum habuerit intra fisco Attiniacensem, id est in terris regii domini quæ ad Attiniacum, regiam villam, pertinebant. De Attiniaco villa agitur apud Mabillonius, de *Re diplomatica*, lib. IV, pag. 248.

10. Altero diplomate, n. XVI, monasterium Honulfocurtense, ab Amalfredo concessum eidem abbati, a Theodorico asseritur, anno 14 regni Christi

687), mense Aprili (a). Hoc monasterium Amalfridus considerat non procul ab oppido sancti Quintini, aliquando *Hunnocurtum* et *Hunnontis-curia* appellatum. Hujus historia repeti potest ex Nova Gallia Christiana, t. II, col. 142. Datum dicitur diploma apud Crisciicum, quod in contextu scribitur Cariciacum, et indigitat Carisiacam villam regiam, de qua curiose et fuse disserit dominus Germain, apud Mabill. de Re dipl., lib. IV, pag. 258 et seq.; monet autem nullum antiquius ævo testimonium occurrere.

11. Diploma n. XIII, quo Theodoricus III immunitates monasterio Novientensi concedit, anno regni sui decimo, ex veteri apographo in archivis Argentinensis Ecclesiæ reposito edidit abbas Grandidier, Hist. Eccles. Argent., t. I, prob. pag. 40, ad cujus fidem recudimus, omissis lectionibus ejusdem instrumenti in Novientensi tabulario asservati, quod supposititium est, quamvis venditetur pro autographo, ut in notis nostris monuimus. Novientum, ut videre est in Hist. Eccles. Argent., pag. 62, et in Nova Gall. Christ., t. V, col. 858, insula Tribocorum in Alsatia, monasterio ibi condito nomen dedit, id autem *Ebersmunster* vernacule dictum, non ab Eberhardo abbate sic appellatum, ut quidam volunt, sed a vocabulo quod *monasterium apri* significat, in memoriam apri ibi cæsi a filio Dagoberti II. Hujus mentio fit in Novientensi Chronico, quod, inter instrumenta in Thesaurò anecdotorum editum, publici juris fecit Martenius, t. III, col. 1107. Immunitas hoc diplomate conceditur loco dicto *Hiltesheim*, hodie *Hiltzen*, quem huic monasterio traderat Theodoricus III.

12. Præceptum Childerici II, (b) supra recensimus, de concessa monasterio Dervensi immunitate. Hanc confirmavit frater ejus Theodoricus III, diplomate n. XIV, quod jam a Dacherio editum recudimus ex chartulario hujus monasterii exarato sæculo vii; nec tantum pro iis quæ Childerici delegerat, sed pro quibuscunque donis ab aliis hominibus collatis.

13. Notatione dignum diploma, n. XV, quo jus condendæ monetæ episcopis Cenomanensibus a Theodorico III conceditur: instrumentum aliquatenus suspicioni obnoxium. De hac facultate condendæ monetæ concessa ecclesiæ his temporibus disquiremus alias. Certe, de veritate instrumenti aliquam dubitationem Mabillonius, Annal. t. I, pag. 559, ingerit; et deinde, agens de eodem jure concessa monasterio Condatensi a rege Pippino, medio sæculo viii, addit, ibid., pag. 608, nullum forte monasterium habuisse antiquius hujusce rei privilegium; plures in notis releximus susceptionum causas, quæ tamen suspensiones ejusmodi non sunt, ut inde instrumentum aperte de falso damnandum pronuntiare audeamus.

14. Facilius a suspitione absolvi posse censemus aliud Theodorici III diploma, n. XVII, quo villam Latiniacum donat monasterio sancti Dionysii: hoc viriliter oppugnavit Germonius. De vet. reg. Fr. dipl. t. I, pag. 173, contra quem feliciter pugnaverunt Mabillonius, de Re dipl., pag. 290, et Fontaninus, Vindic. dipl. pag. 183 et seq. Argumenta utrinque proleta fuse exhibent notæ nostræ, ad quas remittere liceat, ne quod egimus iterum agere videamur.

(a) Amalfridi concessionem ipsam vid. in nostræ Patrologiæ tom. LXXXVIII, col. 1209, n. XXIV. Edit.

## § II. — *Diplomata spuria.*

Exhaustis Theodorici III legitimis diplomatibus quindecim, spuria tria sese offerunt recensenda.

1. Primum est, n. III, quo parthenonem dictum Tulliacum asserere fingitur Theodoricus ecclesiæ Cenomanicæ. Hoc monasterium quædam mitrona, Loppa nomine, in villa sua Tulliaco perfecerat, opitulante Berario, Cenomanensi episcopo. Fingitur autem, mortuo Berario, Aiglibertum, qui ipsi successerat, ecclesiæ suæ jura in hoc monasterium contra Aidilam abbatissam comprobasse, ostensis instrumentis quibus a Loppa conducere huic ecclesiæ monasterium traditum fuerat. Hæc Theodoricus confirmavit diplomate, quod ex actis Cenomanensium episcoporum apud Mabill. Analect., pag. 277, recudimus, datum anno 3 regni nostri; verum, hoc anno nondum Aiglibertus Cenomanensi ecclesiæ præerat. Ergo spurium est diploma Theodorici, hoc ipso quod anno regni ut, ad petitionem Aigliberti, emissum dicitur. Alia autem recensimus non pauca ejusmodi falsa instrumenta, fabricata ut jura hujus ecclesiæ protenderentur, et collecta magno numero inter Acta Cenomanensium episcoporum. Perstat adhuc monasterium hoc, teste Mabill., Annal. t. I, pag. 559, quod jamdudum virorum est, nunc prioratus conventualis abbatia sancti Vincentii congregationis sancti Mauri.

2. Alterum, eadem mente fabricatum, ex eodem fonte haustum, et a Mabill., Analect., pag. 2, recensum, edimus Theodorici diploma, n. IV, quo jus ecclesiæ Cenomanicæ asseritur in parthenone sanctæ Mariæ infra Sartham. Eodem laborat vitio quod falsum prodit. Datum scilicet fingitur anno in regni Theodorici III, ad petitionem Aigliberti, Cenomanensis episcopi, qui nondum Berario episcopo successerat. Berarius enim regebat adhuc ecclesiam Cenomanensem, ut mox monuimus, Monasterium de quo agitur, infra Sartham extra muros Cenomanicæ urbis constructum uti dicit Mabill. Annal., t. I, pag. 560, modo parochialis ecclesia est, intra ipsam civitatem.

3. Supposititium censemus diploma aliud, n. VIII, sub Theodorici nomine a Miræo vulgatum, Opera dipl., t. I, pag. 126. Hoc instrumento dona plurima conferuntur monasterio, quod, Nobiliacum tunc temporis appellatum, deinde a Vedasto, Cameracensi simul et Atrebatensi episcopo, ibi sepulto, vel potius versus annum 606 huc translato, nomen sumpsit, et est inter monasteria Atrebatensia celeberrimum. Hoc instrumentum tueri conatus est Cointius, Annal. t. IV, pag. 124 (sed frustra fuit, ut in notis nostris fuse monstravimus). Tentamen imperfectum inepti falsarii, ad exemplum diplomatis Caroli Calvi, quod exstat apud Marten. collect. ampliss. t. I, pag. 198, ita stolidè conflatum est, ut ibi exscriptæ sint imperiales formulæ quæ ab imperatoribus Carlovingiis usurpabantur, a Merovingicorum formulis prorsus alienæ. Miræus non ducit unde hunc spurium fetum adduxerit. Auctor Chronici Vedastini, quod chronicon reperias apud Locrium, vir non satis emunctæ mentis, hoc instrumento usus est, quod in plerisque locis, ipso latente Cointio, emendatione indiget.

(b) Vid. prolegom. ad Childericam II, n. 7, et paulo post, ejusdem Childerici II diploma. IX. Edit.